

T A B L A.

scientiam, & morum grauitatem & vniuersalem Ecclesie utilitatem, dispensatum.

¶ Qui autem sint casus, in quibus Sedes Apostolica rarissime dispensat, potest facile cognosciri per multorum indulta Summorum Pontificum. Quoniam eorum quidam concedentes potestatem dispensandi generalem in irregularitatibus, aliquos casus, excipiunt. Per hoc inuenies, quod in talibus Sedes Apostolica rarissime dispensat. Et licet alij Summi Pontifices sequentes, non excipient illos casus, non tamen per hoc ostenditur, quod non sunt tales in quibus Sedes Apostolica rarissime dispensat. Et id circa in eis dispensare temeriter non presumant Fratres, quantumcumque potestatem Papa eis dederit generalem dispensandi in irregularitatibus. Quandoquidem in generali concessione non veniunt illa quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus. c. i. Generali de regu. iu. in. 6. B. enim Paulus prohibuit, ne Bigamus ordinetur. i. Timo. 3. & ad Titum. i. licet tunc forte essent plures Bigami. ut videtur ipse. B. Paulus presupponere, qui alias apti erant promoueri ad Episcopatum, & quia hoc bonum erat bonum particularis alicuius, & non vniuersal-